

Francisco Suárez, S. J.
DE BONITATE ET MALITIA HUMANORUM ACTUUM, DISP. 6, S. 2

<357> *Qualis sit bonitas quam actus puræ electionis habet ex fine honesto.*¹

What the goodness is which an act of pure election has as a result of an honest end.

1. *Prima sententia.*—*Arguitur pro illa primo.*—De actu voluntatis circa finem in se ipso nihil superest dicendum, præter ea, quæ dicta sunt de objecto: nam respecta talis actus finis, et objectum idem sunt, et eadem ratione fere posset omitti præsens quæstio, quia in virtute est in superioribus definita: verum, ut satisfaciamus omnibus, et quædam propria exponamus, tractanda est. Dicunt ergo quidam auctores speciem illam bonitatis, quam sumit pura hæc electio, ex fine non esse essentialem, sed accidentalem illi actui, quo voluntas vult tale medium propter talem finem. Fundamentum hujus sententiæ esse potest primo: in illo actu distinguendum est objectum a fine, nam objectum est intrinsicum actui: finis autem extrinsecus: ergo talis actus aliam speciem habet ab objecto, aliam a fine: ergo illa prior essentialis est, et altera accidentalis: quia, ut diximus superius, non possunt esse duæ species essentielles in eodem actu. Item diximus speciem ex objecto esse essentialem, cujus signum etiam est, quod una est prorsus inseparabilis, altera vero mutari potest.

2. *Secundo.*—Secundo potest videri hoc difficile argumentum, quia quando medium, quod eligitur, est alioqui bonum, et honestum ex objecto, ut quando eligitur eleemosyna ad satisfaciendum pro peccatis, tunc ipsa electio habet primariam speciem ex objecto, ex fine vero accidentariam, ut in dicto exemplo, actus eleemosynæ semper est in specie misericordiæ, quod vero ordinatur ad satisfactionem, aut ad alium finem, est ei accidentarium: ergo idem erit in quocumque medio, esto sit ex objecto indiffer-

ens, nam hoc non variat rationem, et modum specificandi.

3. *Tertio.*—Tertio. Sicut medium ordinatur ad finem: ita finis per media comparatur, sed respectu intentionis finis accidentarium est, quod per hæc, aut illa media comparetur: unde quamvis hoc possit variare accidentaliter bonitatem intentionis, non tamen substantialiter: unde si intentio finis sit indifferens, non fiet essentialiter bona, etiamsi per honesta <col. b> media quærat: ergo idem est e converso de electione mediorum respectu finis. Et confirmatur, ac declaratur: nam in voluntate medicinæ aliud est amare medicinam ipsam in se, aliud amare utilitatem ejus ad sanitatem: ergo etiam in actu una ex his rationibus est essentialis, altera accidentalis, nam ex natura rei illa duo distinguuntur, sicut in assensu scientiæ distinguuntur assensus conclusionis ab assensu principiorum propter quæ illi assentimur.

4. *Quarto.*—Quarto. Electio ejusdem finis ex medio ipso habet majorem, vel minorem bonitatem: ergo non totam recipit a fine; ergo nec totam entitatem, quia, ut dictum est, bonitas actus nihil est nisi entitas ejus: ergo illa entitas, quam habet electio ex medio, est prima, et essentialis, in ipsa: altera ergo erit accidentalis. Confirmatur, nam stante eodem fine voluntas eligit hoc medium potius, quam illud, propter proprias condiciones talis medii, scilicet, quia est suavius, aut facilius, etc.; ergo non est finis tota ratio illius electionis, seu voluntatis prout versatur circa tale medium, cura non sit tota ratio illius comparativæ electionis: ergo supponit voluntatem affectam ad rem: quæ est medium, et solum movet ad ordinationem ejus in talem finem: est ergo illius specificatio accidentalis, qualis autem sit hæc accidentalis species explicatur uno e tribus modis, disp. 4, tractatis de objecto. Primus est, quod voluntas illius rei, quæ est medium, entitas sit quædam partialis, cui adjungitur altera, qua voluntas amat relationem illius objecti in talem finem, quæ dicitur accidentaliter advenire alteri, quia illi adesse potest, et abesse, nam voluntas potest nunc velle hanc relationem in hunc finem, ut postea dicam, manente eadem voluntate circa rem, quæ est medium. Secundus modus est, quod voluntas medii in se sit quidam actus voluntatis, bonitas vero ex fine desumpta, sit modus quidam ex-

trinsecus ejus. Tertius, quod illa bonitas et specificatio ex fine solum sit determinatio extrinseca, et ratio quædam moralis.

5. Dicendum tamen actum puræ electionis, ut sic habere primam suam, et substantialem et physicam speciem ex fine; unde si finis ille honestus sit, et propter illum quatenus talis est, proxima intentione eligatur medium, prima bonitas talis electionis est ex fine, et illa est intrinseca, et essentialis tali electioni, atque adeo invariabilis in tali actu. Hæc sententia, ut existimo est expressa D. Thomæ 1, <358> 2, quæst. 18, art. 6, ubi solutione ad 2, ait, licet ordinari ad talem finem accidat exteriori actui, non accidit interiori actui voluntatis, qui comparatur ad exteriorem, sicut formale ad materiale, et solutione ad 3, dicit, quamvis in actibus externis sit diversitas specifica, in interiori non esse, si illi sub eodem fine amentur, et 1 contra Gentes, cap. 76, ratione prima, dicit finem comparari ad medium, sicut rationem formali objecti ad materialem, et ideo unam esse tendentiam voluntatis, quia idem est actus in objectum, et in rationem formalem ejus, quam doctrinam sæpe repetit, applicando illam ad finem, et medium, ut sic, ut videre licet in q. 12, art. 4, et q. 2, de malo, art. 2; præsertim ad 4 et 5, et in 2, d. 38, quæst. 1, art. 4, ad 1, denique in eadem 1, 2, quæst. 19, art. 2, ad 1, dicit actum voluntatis nunquam habere accidentalem speciem a fine, nisi quatenus finis ordinatur ad finem, et intentio ad intentionem: ergo quatenus medium ut medium ordinatur ad finem, et pura electio est, sub hac intentione non habet accidentalem speciem a fine, sed essentialem.

6. Atque ex his locis D. Thomæ sumo duas præcipuas rationes hujus veritatis. Prima est: actus voluntatis nullam speciem sumit ab objecto, nisi sub aliqua ratione boni, ut supra late ostensum est, aut ergo amat voluntas rem illam, quæ est medium, solum sub ea ratione boni quæ est in fine, aut sub aliqua alia, quæ est in ipso medio: si dicas primum: ergo ille actus solum habet unam speciem sumptam ex bonitate finis: ergo illa necessario erit essentialis, quia etiam ostensum est necessariam esse aliquam specificationem essentialem cuilibet entitati: ergo ubi non est nisi una, erit essentialis. Si vero dicas secundum, jam non illa est pura

electio, de qua tractamus, sed est quædam particularis intentio extrinsecus ordinata ad ulteriorem finem, de qua postea dicturi sumus. Probatur consequentia, quia secundum eam rationem, secundum quam res, quæ amatur, non amatur ob bonitatem finis, sed ob aliam, quæ in ipsa est, jam non amatur ob aliud, sed propter se: ergo, ut sic, amatur ut finis proximus, non est ergo illa pura electio. Dices amari propter utilitatem ad finem, quæ in ipso medio, est aliquid distinctum a bonitate finis; quod patet, nam utilitas medicinæ ad sanitatem amari valet sive sanitas amatur ob bonitatem honestam, sive ob convenientiam ad naturam sensitivam, sive ob delectationem, sive aliam utilitatem. Sed hoc imprimis non dicitur, consequenter juxta sententiam citatam, nam ut in argumentis propositis vidimus, ipsa res, quæ est medium, et utilitas ejus, ut sic, distinguitur ab utilitate medii, et amore ejus ut sic; deinde, ut supra, tractatu primo, docui, utilitas, ut sic non facit rem amabilem, nisi supponat amatam rem, ad quam est utilitas: utilitas enim, in genere loquendo, nihil est aliud, quam virtus ad causandum aliquo modo effectum: unde non habet rationem convenientis, aut inconvenientis, nisi quatenus effectus ipse conveniens, vel inconveniens est: ergo in medio utili, ut sic, tota ratio convenientiæ in ordine ad appetentem sumitur ex fine: ergo amare utilitatem medii, et amare illud ob finem, non sunt duo, sed unum et idem.

7. Secunda ratio, quæ ex D. Thoma, et ex dictis, in citatis locis, sumitur, est quia medium, ut medium, et finis comparatur, ut materiale et formale; sed in voluntate idem est indivisibilis motus, quo tendit in materiale, et formale objectum: ergo in actu electionis puræ, eadem est indivisibilis ratio, et specifica differentia, propter quem attingit rem, quæ est medium, ut materiam et finem, propter quem eligitur, ut formalem rationem objecti: est ergo una species bonitatis inde sumpta prima, et substantialis in tali actu, Majorem propositionem sæpe, et expresse docet D. Thomas jam citatus, ut constat ex dictis in ratione prima, quia tota ratio convenientiæ, et appetibilitas medii, est bonitas finis. Minor propositio late probata est supra, disp. 4, tractando de bonitate ex objecto, nam rationes ibi factæ de objecto materiali, et bonitate ipsi intrinseca, eadem proportionem applicari

possunt ad medium et finem, nam in actibus intellectus, et voluntatis nihil refert, quod formalis ratio objecti in re ipsa sit extrinseca materiæ, circa quam versatur actus, dummodo ab ipsa potentia non attingatur nisi sub ea ratione: nam hoc satis est, ut inde sumat suam primam speciem, ut petet de intellectu in actibus fidei, in quibus testimonium dicentis satis extrinsecum est veritati creditæ, et tamen respectu assensus intellectus, est quasi forma specifica, et idem est in actibus voluntatis, ut patet de amore proximi propter bonitatem Dei, et de voluntate adorandi adoratione respectiva propter extrinsecam excellentiam, idem est ergo de medio et fine.

8. Unde possumus tertio argumentari discurrendo per singulos modos, quibus contraria opinio asseritur, et improbando illos: sed quia hoc late egimus tractando de objecto, <359> disp. 4, non oportebit eadem repetere, sed unusquisque poterit ea applicare, solum declaratur breviter. Nam hæc specificatio, et bonitas electionis ex fine non potest consistere in sola denominatione extrinseca: nam ipsamet electio per se ipsam est intrinsece electio, et non per denominationem ab alio actu: ergo intrinseco in sua entitate includit aliquem respectum ad finem, præsertim cum ostensum sit respicere illum, ut formale objectum. Neque etiam intelligi potest hæc specificatio, ut partialis entitas, vel realis modus additus alicui alteri entitati, quia nulla fingi valet entitas, quæ supponatur in illo actu ante relationem ad finem, quia ostensum est, illum actum nullum habere respectum ad medium electum sistendo in illo, sed solum sub ratione finis: quidquid autem in illo actu excogitari potest necessario dicit habitudinem ad medium electum: ergo et ad finem.

9. *Ad primum argumentum in n. 1.*—Ultimo sumi potest hæc veritas ex Aristotele, nam electio ob honestatem alicujus finis est actus elicited a virtute respiciente illum finem; ergo pertinet ad talem virtutem, seu bonitatem. Antecedens constat ex lib. 6, Ethicorum, cap. 2, et lib. 2, Ethicorum ad Eudemum, circa finem, et declaratur, nam qui ex solo affectu misericordiæ, et nullo ex alio motivo lucratur divitias, ut eleemosynam faciat ex vi solius virtutis misericordiæ, habet tam voluntatem dandi

eleemosynam, quam voluntatem lucrandi divitias: utraque ergo voluntas est actus elicitus ab illa virtute; neque fingi potest quis alius habitus ibi concurrat ad eliciendum posteriorem actum; dici enim non potest ibi concurrere habitum, quo amantur divitiæ absolute, et propter se, quia nullus talis affectus est in homine sic operante. Prima vero consequentia constat ex differentia inter actum elicitum a virtute, et imperatum, nam elicitus dicitur, quia secundum substantiam, et entitatem suam fit a virtute: imperatus vero qui ab una virtute refertur in suum finem, cum tamen ab alia substantialiter fiat, ut magis ex sequentibus dubiis constabit.

10. *Ad secundum argumentum in num. 2.*—Ad primam rationem in contrarium respondetur respectu electionis, de qua agimus: objectum formale non distingui a fine: materiam autem circa quam versatur actus, distingui ab eo, sicut objectum materiale a formali, et ideo non oportet, ut a tali objecto sumatur aliqua species prior illa, quæ sumitur a fine. Unde licet hujusmodi finis possit esse extrinsecus <col. b> tali materiæ, vel actioni exteriori, tamen respectu actus interioris electionis, est intrinsecus, ut recte D. Thomas dixit, quia est objectum formale: quapropter species inde sumpta in variabilis est in tali actu electionis: nam licet voluntati lucrandi divitias accidentarium sit, quod fiat propter eleemosynam, vel propter captandum honorem, et ideo possit voluntas nostra ab uno actu in alium mutari, tamen illi speciali actui, quo amantur divitiæ præcise propter eleemosynam, non accidit ille finis, neque species misericordiæ, unde non potest illemet actus mutari, et fieri ex alio motivo: sed quando voluntas hoc modo mutatur, variat totum actum.

11. *Ad tertium argumentum in num. 3.*—Ad secundam respondetur, formaliter loquendo, doctrinam datam procedere semper in omni vera, et pura electione, sive materia circa quam versatur sit indifferens, sive honesta propria aliqua honestate, quæ est objectiva respectu illius; nam si illa non intendatur formaliter, sed tantum eligatur realiter propter finem extrinsecum, electio habebit unam tantum speciem essentialem ex fine; si autem medium ex se honestum ametur propter propriam honestatem, et præterea

ordinetur in ulteriorem finem, tunc ille actus non est propria electio, de qua agimus, et ideo non est de illo similis ratio: quid autem de illo dicendum sit, aperiatur dubio sequenti, ubi priorem partem hujus solutionis magis declarabimus.

12. Ad tertiam de habitudine inter finem et media, respondetur tollendam esse æquivocationem de intentione: nam intentio proprie dici solet actus determinatus ad finem, ut ad objectum, quod per se primo amatur in ordine ad consecutionem; unde fit, ut in virtute, vel in confuso includat aliquo modo media, ut voluta, quatenus necessaria esse possunt ad consequendum finem, nam qui efficaciter vult finem consequi, ibi implicite vult adhibere media necessaria, et consequenter virtute etiam vult eligere illa: tamen ille actus, ut sic, non est electio, sed natura sua est prior illa, neque etiam accipit bonitatem, vel malitiam a medio, vel electione medii, ut supra latius, sed a bonitate finis, nam cætera, vel non pertinent proprie, et formaliter ad illum actum, vel eo modo quo pertinent, et tantum materialiter.

13. Alio vero modo sumi potest intentio prout includitur, seu participatur in electione ipsa, nam qui eligit medium propter finem, per illud medium tendit in finem, et hac ratione dici potest per illummet actum aliquo <360> modo intendere finem, quo sensu videtur locutus D. Thomas 1, 2, quæst. 12, art. 4. Et in hoc sensu idem est secundum rem tendere in finem per tale medium, et velle, seu eligere tale medium propter talem finem: nam licet his verbis videatur diversa habitudo significari, tamen illud solum est secundum rationem et inadæquatum modum concipiendi nostrum: imo si res absolute consideretur, finis proprie non dicit habitudinem ad media, sed est terminus habitudinis mediorum ad ipsum, et ideo intentio ejus est causa electionis mediorum, et inde per quamdam denominationem extrinsecam concipitur a nobis sub hac denominatione rei consequendæ per media, unde in omni motu, et termino ejus potest quid simile considerari, et hinc fit, ut licet electio possit illis duobus modis a nobis concipi et significari, scilicet medii ad finem, et finis per medium, tamen specificatio essentialis sumitur ex fine, quia in re ipsa ille est terminus talis habitudinis, et comparatur ad medium,

ut forma ad materiam, sicut dictum est. Ad confirmationem illius tertii argumenti respondetur absolute etiam in ordine ad diversos actus fieri posse, ut aliud sit velle rem, quæ est medium, et aliud velle utilitatem ejus, tamen in hoc actu puræ electionis non possunt hæc duo separari ab eadem indivisibili specie entitate, quia, ut sæpe dictum est, comparantur illa duo, ut materiale et formale.

14. *Resolvitur quartum argumentum in numero 4 positum.*— Quartum argumentum petit comparisonem inter diversas electiones, quæ primo posset fieri inter intentionem et electionem ejusdem bonitatis, an sint actus specie distincti, necne. Sed hæc quæstio communis est omnibus actibus bonis et malis, et præterea omnibus illis, in quibus diversa materialia objecta propter eandem rationem formalem amantur, quæ ratio formalis in alio vero tantum per denominationem extrinsecam, ut sunt amor Dei, et aliquis amor proximi, de quibus 2, 2, q. 25, art. 1, adoratio prototypi, et imaginis, de quibus 3 p., quæst. 25, de intentione vero et electione 1, 2, quæst. 12 et 13. Quidquid tamen sit de specifica distinctione, constat, per se loquendo, majorem bonitatem esse in intentione finis, quam in electione medii propter finem, juxta regulam posterioristicam: *propter quod unumquodque tale*, etc., nam finis simpliciter est dignius objectum. Eadem autem comparatio duplex fieri potest inter diversas electiones propter eundem finem, de quibus quod ad specificam rationem <col. b> attinet, idem judicium ferendum est, quod de actibus ex objecto bonis supra dictum est, qui in materiali tantum objecto differunt, et conveniunt in formali: nam similiter respecta electionum si media sint tantum materialiter diversa, et prorsus dicant eandem habitudinem ad finem, electiones non propterea differrent specie, quia idem habent objectum formale: nihilominus tamen negandum non est, quin una electio possit esse melior alia intra eandem speciem, quia licet finis sit idem in se, tamen juxta capacitatem et proportionem mediorum potest illis majorem vel minorem bonitatem conferre, quod in omni sententia necessario asserendum est, sive hæc bonitas dicatur essentialis electioni, sive accidentalis, quia augmentum ejus est intra eandem speciem electionis, ut electio est, atque adeo in

1 The Latin text is from the Vivès edition.